

(cui nihil impossibile est) jugiter impleremus auxilium. CASSIAN. COL. XVII. c. XVII. Quod ipsum etiam S. Chrysostomus suasit his verbis: Quenam morbi hujus medela inveniri queat? Conjunctim omnes preces fundamus, unam eandemque pro ipsis vocem, tanquam pro energumenis edentes. Hi enim hoc infeliciori sane conditione sunt, quod furor hic non nisi a certo animi proposito ortum habet. S. CHRYS. hom. VII. ad Rom.

Dilectio fraterna; uti S. Laurentius Justinianus suasit, dicens: Qui ab hæc pestifera tentatione liberari desiderat, proximum, tanquam celestis Regni coheredem diligit, et complectatur intimis visceribus charitatis. Hæc enim dilectio erga proximos non solum expellet a nobis omnem timorem, verum etiam meritorum proximi participes efficiet, ejusdem nobis gratiam et benevolentiam conciliabit. S. LAUR. JUST. c. XIII. cit. S. Gregorius malignos detestatur invidios, qui ex aliorum bonis sibi ipsi malum æquunt, cum tamen gaudente de iis, ex motivo charitatis, illius boni, cui invident, bonam sibi partem acquirere possent, dicit enim: Quid infelicius istis, quos dum conspecta felicitas afficit, poena nequiores reddit? Aliorum vero bona, quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent. Hinc pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, qui alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore. S. GREG. p. III. *Past. Admo. XI.* Qui ergo hoc monstrum ab animo suo eliminare contendit, non opus ei est ferro, nec ut lorica accingatur, neque ut galea caput suum contegat; sed solum si cor ejus charitate ardeat, sufficit; hæc enim suadet S. Isidorus dicens: Adversus invidiam charitas prepararetur. S. ISID. l. II, *Synon. cap. VIII.* Hinc et S. Chrysostomus ait: Non es dicendo laudem assecutus, sed tu, dum ei gratularis, majorem es laudem adeptus, quam ille; si enim charitas est res magna, et caput omnium, tu eam, quæ ex ipsa paratur, acceptis coronam; ille eam, quæ acquiritur ex arte dicendi, tu eam, quæ acquiritur ex vehementi amore. Ille ostendit vim verborum, tu per facta deiecasti invidiam, et conculcasti livorem, quamobrem multo magis, quam ille, fueris coronatus; certamen tuum est preclarior, non solum conculcasti invidiam, sed etiam aliquid fecisti; ille unam solum habet coronam, tu vero duas, et duas illas una splendidiore. Quenam sunt hæc? Unam suscepisti adversus in-

vidiam; altera est, qua fuisti redimitus ex charitate, non enim collectari solum est indicium, quod sis mundus ab invidia, sed etiam quod habeas charitatem, quæ radices egerit. S. CHRYS. hom. XI. ad Coloss.

Exemplum Sanctorum; nam, teste S. Augustino, id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidet, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri, tanquam nollet esset unusquisque quod non accepit, quamvis sit peccatissimo concordie vinculo ei, qui accepit, obstrictus. Et S. Bonaventura S. Anselmi similitudinibus auctoritative innoxius ait: Ibi erit tam perfecta et beata charitas justorum, quod unusquisque in tantum diligit proximum suum, quantum seipsum, ex quo illud inæstimabile sequitur bonum, quod ita unusquisque de alterius bono vel gaudio gaudebit, sicut de proprio; proinde cum inenarrabilis sit numerus Electorum, quis, putas, narrare sufficiat gaudia beatorum? S. AUG. l. LXVII. de Civit. Dei XXX.

Æternorum bonorum æstimationem procurare; nam ut Richardus de S. Victore ait: Quantum æterna cognoscimus, tantum transitoria despiciamus, et damnamus; hæc est enim illa pretiosa margarita, quam qui invenit, quæ prius amaverat, libenter cuncta derelinquit. RIC. A S. VICTORE. p. II, in *Cant. vi. 9.*

Se infimum omnium æstimare. Qui enim ab hoc morbo alienus est, inquit S. Ephrem, nunquam aliorum profectu cruciatur, de honore alterius non turbatur, neque de dignitate dolet, cunctos enim se meliores præstantioresque ducit, indigniorem se aliis, omniumque infimum reputans, gloriam priam non querit, non sectatur honores, gaudet cum gaudentibus, adjuvat proficientes, et cum præclare incedentibus exultat, et bene beateque viventes laudibus celebrat. S. EPHREM, de Vit. et Virt.

Damna, quæ secum offert invidia, serio ponderare; nam ut S. Chrysostomus ait: Si quem videremus ignem manibus ac lignonem gestantem, hæc ædem una cum altari demoliri, evertere, incendere, nonne fieret, ut ab omnibus iis, qui rem forte spectarent, lapidibus obrueretur, tanquam impius et exlex? Quid igitur? Si quis flammam gestat, hoc, quo utimur, igne edaciorum, invidentiam dico, non lapidum ædificia demolientem, neque aureum altare evertentem, sed quod longe, et altari, et lapidibus pretiosius

est, præceptorum ædificium subvertentem ac devastantem, hic qua demum venia dignus esse queat? S. CHRYS. hom. VII. ad Rom. Et iterum alibi: Illud etiam tecum semper verte, quia non majorem illi, cui invidet, quam tibi ipsi facis injuriam, cum te ipsum versus mucronem impellas. S. CHRYS. XL. in *Moth.*

Serio ponderare, quam difficulter curabile sic hoc vitium. Id quod Cassianus sequentibus verbis ostendit: Cunctis perniciosiorem, atque ad purgandum difficiliorem esse constat invidiam, quæ ipsis remediis, quibus reliqua extinguuntur, accenditur. Nam v. g. qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur; qui de illata indignatur injuria, humilitatis satisfactione placatur. Quid illi facias, qui hoc ipso magis, quod te humiliorem ac benigniorem sentit, offenditur, quem non ad iracundiam cupiditas, quæ præmio delinitur, non injurie læsio, ad amor ultionis accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis; sed successus tantum alienæ prosperitatis irritat? CASSIAN. ap. Mansi. disc. XVII. n. 8. Cui consentiens S. Chrysost. Sane præstat, inquit, serpentem in visceribus provolutum habere, quam invidiam interne latentem; etenim ille medicamentorum uxilio sæpe evomit, et alimenti ope mitigari potest; at invidia non in visceribus se volutat, sed in anime sinu versatur, eaque est hujus morbi natura, ut ægre deleri, atque extingui possit. S. CHRYS. hom. XXVII. in II ad Corinth.

Consideratio creature universalis. Nam, teste S. Antonino, omnis creatura communicat se ipsam suo modo, sol omnibus præbet lumen suum, et luna, et stellæ; terra communicat fructus suos omnibus animalibus, et nihil sibi retinet; membra in corpore humano se invicem juvant, nec invidet pes oculo, quia nobilior est eo et eminentiorem locum tenet, sicut in capite. S. ANTONINUS, t. II, p. VIII, c. II, § 5.

Terrena bona contemnere. Nam, ut S. Gregorius dixit, tanto quisque plus invidet bona præsentia, quanto minus ea ipse contempserit. S. GREG. l. III. Mor.

Ad celestia bona anhelare; ita idem S. Gregorius suasit his verbis: Qui livoris peste carere desiderat, illam hereditatem diligit, quam coheredum multitudinem non angustat, quæ et omnibus una est, et singulis tota, tanto largior esse ostenditur, quanto ab hæc percipiuntur multitudo dilatur. S. GREG. l. V. Mor. c. XXII.

TOMUS II

Omnes proximos ut membra ejusdem corporis mystici intueri. Sic enim, ut nullum membrum alteri de sua sanitate vel felicitate invidet, sed congaudet potius. Ita et nos de Fratrum nostrorum felicitate gaudebimus potius, quam tristabimur. Ita S. Gregorius iterum suasit dicens: Sic sunt universi consistentes in fide, sicut multa membra uno continentur in corpore, quæ per officium quidem diversa sunt, sed eo, quo sibi vicissim congruunt, unum fiunt. Unde fit, ut pes per oculum videat, et per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium serviat, et ad usum suum auribus oris lingua concurret, suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. Nimis itaque turpe est, non imitari, quod sumus. S. GREG. l. III. *Past. Adm. 11.*

Radicem invidiæ tollere; nam, ut S. Augustinus dixit: Invidia est filia superbiæ; sed ista superbiæ nescit esse sterilis; ubi fuerit, continuo parit, Suffocæ matrem, et non erit filia. S. AUG. de vero Deo.

Credere, se omnibus Dei donis indignum æque; sic enim facile tolerabitur, si alii in donis excellere videantur.

Perfectam voluntatis suæ cum divina conformitatem procurare; sic enim dicit cum Psalmista: «Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.»

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quando mortale peccatum sit hæc invidia. Id quod S. Thomas sic explicat: Dicendum, inquit, quod invidia ex suo genere est peccatum mortale; genus autem peccati ex objecto consideratur. Invidia autem secundum rationem sui objecti contrariatur charitati, per quam est animæ spiritualis vita, secundum illud primæ Joannis 3. «Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. » Utriusque autem objectum charitatis et invidiæ, est bonum proximi, sed secundum contrarium motum, nam charitas gaudet de bono proximi, invidia autem de eodem desiderat. S. TH. I, II, q. XXXVI, n. 3.

Nosse debet naturam invidiæ, quam ex sequentibus S. Thomæ verbis colligit: In conata invidiæ est aliquid tanquam principium, et aliquid tanquam terminus. Principium quidem est, ut aliquis diminuat gloriam alterius, vel in occulto, et sic est susurratio; vel manifeste, et sic est detractio.

tio. Medium autem est, quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius, aut potest, et sic est exultatio in adversis; aut non potest, et sic est afflictio in prosperis. Terminus autem est in ipso odio, quia sicut bonum delectat et causat amorem, ita tristitia causat odium. S. TH. a. 4.

Nosse debet causam, cur adeo noxium hoc vitium censetur, quia nimirum spoliatur hominem omni bono, et causa est, quia odit et impugnat omne bonum. Alia vitia opponuntur uni virtuti, ut superbia humilitati, luxuria castitati, avaritia largitati, et sic de aliis; invidia vero opponitur omni bono. S. BONAV. in *Diet.* l. 1, c. iv.

Nosse debet cur tam difficile curretur invidia. Id quod S. Cyprianus commode ostendit, dicens: Facilis est cura, ubi plaga perspicua est, et cito ad sanitatem, medela subveniente, producit vulnus, quod videtur. Zeli vulnera abstrusa sunt, et occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ se intra conscientie latebras cæco dolore clausurunt. S. CYP. de *Zelo et Invid.* Imo ut S. Zeno ait: Nec interrogatus potest indicare languorem; erubescit enim enuntiare in publicum, qui tabescit invidia, quia amici bonis et successibus proximi ipse consumitur, quia fratris bona, sua mala sunt; hæc enim dicturus est sine dubio, si velit, quæ vera sunt, dicere; verum quoniam erubescit horum aliquid confiteri, recondit et celat intrinsecus morbum, ipsa ejus interna viscera consumentem. Neque ergo medicum languoris sui assumere, neque remedii aliquid invenire potest, cum præcipue omnes Scripture repletæ sint verbi Dei medicamentorum, quibus possit ista curari, sed inde quidem remedium non requirit. S. ZENO. de *Livore.*

Nosse debet, cur Christianum præcipue hoc vitium dedecet, nimirum quia tota lex Evangelica, quam adimplere debemus, in charitate et dilectione proximi fundatur, cui invidia directe opponitur, et ideo per charitatem Deus nobiscum commemoratur. Deus enim charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Si quis penitus inspicat, inquit Cyprianus, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et livore capiatur. CYP. l. c.

Nosse debet, quam difficile sit, evitare alienam invidiam; id quod S. Hieronymus his verbis ostendit: Sed dicit aliquis, quisquis

vitare invidiam cupit, timeat pluribus innotescere, vel placere. Ecce iustus Abel nullos habuit, quibus innoteret, vel placeret, et tamen invidiæ odium vitare non potuit. Errat enim, quicumque absque hominum amicitia contrahi non posse opinatur invidiam, cum illa non tam humanas amicitias, quam solam Dei amicitiam prosequatur. Unde ne ille quidem absque invidiæ infestatione esse potuit, qui vel soli Deo placere gestierit; sufficit enim ad invidiæ stimulos incitandos, si se illi placere cognoverit, ultra quem alius esse non potest. S. HIER. tr. ix, ep. iv, ad Marcell.

Nosse debet etiam perfectionis studios hoc vitium non parum insidiari, id quod claris verbis S. Hieronymus docuit dicens: Ut soli Deo puram elementiam derelinqui, filiorum Zebedæi consideremus exemplum, pro quibus cum Mater mota pietatis affectu nimis grandia postulasset, reliqui decem discipuli indignati sunt. S. HIER. ep. cxlvi, ad Dam. Quod etiam confirmavit S. Bernardus, dum dixit: Metientes nosmetipsos nobis, sentimus aliqui nostrum pro nostre infirmitatis experientia, quam rara sit virtus aliene non videre virtuti, necdum gaudere ad illam, necdum etiam tanto plus, quam ad propriam quemque gratulari, quanto se perpendit in virtute superatum. S. BEAN, s. XLIX, in *Cant.*

Nosse debet solidum medium evitandæ invidiam; quale præ cæteris offert S. Bernardus, dum supra citatis verbis subiungit: Et quando, ais, ego proficere possum, qui Fratris invidio proficenti? Si doles, quod invides, sentis, sed non consentis. Passio quandoque est sananda, non actio condemnanda. Tantum non illic resideas, iniquitatem meditans in cubili tuo, qualiter videlicet foveas morbum, satisfacias pesti, persequaris insontem, bene ab illo gesta calumniando, deprimendo, pervertendo, atque impediendo gerenda. (Ibid.) Non parum etiam proderit, si bene ponderetur, quod bonum, ob quod alteri invidendum incitatur, per fugam invidiæ nostrum facere possimus, ut bene S. Augustinus advertit dicens: Tolle invidiam, et tuum est, quod habeo; tolle invidiam, et meum est, quod habes. S. AUG. sup. *Joan.*

Nosse debet, ut, quoniam teste Salomone, calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius, maxime si ab invidia procedat, mature se ad ejusmodi tela invidiæ ab aliis sustinenda præparet. (ECCLES. VII, 8.)

Quis enim unquam virtutis amicus exercitio hoc caruit, inquit recte Petrarca? Percurre animo omnes terras, omnia sæcula, cunctas historias evolve, vix insignem virum hac immunem peste reperies. Postea modum effugiendi docens sic loquitur: Tolle mali materiam, malum omne sustuleris. Nimis opibus pone modum; quidquid eximia specie inflammare animos potest, abijce vel absconde. Si quid est, quo carere nolis, aut nequeas, modeste utere; invidiam, quam insolentia exasperat, humilitas lenit. PETRARCA. *Dial.* xxxv.

CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Ex occasione thematis: *Qui invidet, nihil est illo nequius* (ECCLES. XIV, 6); potest explicari gravitas hujus vitii. 1. Quia *summe perniciosum est corpori*, quod sicut linea corrodit, et sicut putredo ossium consumit; *anima*, quia sicut invidia Diaboli mors in orbem introit, ita et in animam intrat, et velat radix omnium malorum, fons cladum, et seminarium delictorum, extreme calamitosum facit; *fama*, quia, ut supra ex S. Chrysostomo dictum est, ipsis feris et Dæmonibus deteriorum facit. 2. Quia *summe calamitosum est vitium*; nam, ut sapienter Card. Bellarminus advertit, nihil eo est miserius; cæteris enim vitis aliqua vel utilitas, ut furto, vel voluptas, ut luxuriæ, vel honor, ut ambitioni, comparatur; sola invidia nihil præter continuum acerrimumque dolorem habet. BELLAR. in *Psalm.* xc, conc. x. 3. Quia *tenacissimum est vitium*; nam, ut S. Gregorius recte dixit, mala cætera habent terminum, et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur; in latrone conquescit scelus homicidio admissio, et prædoni rapacitatem statuit præda possessa. Invidia terminum non habet, permanens jugiter malum, et sine fine peccatum. Vide Henric. Engelgr. in *Dom.* v post *Epiph.* tom. II.

Ex occasione thematis: *Invidia Diaboli mors introit in orbem terrarum* (SAP. II, 24); ostendi potest, quam commune sit hoc vitium, quamque adeo vere dixerit quispiam: Invidia in cælo concepta per Luciferum, in aula nata (hinc enim ars prima Regum est, posse invidiam pati), in monasteriis educata (ubi vel maxima est occasio spiritualibus bonis invidendi), in xenodochiis mortua

est. Quæ omnia fusius apud Engelgr. l. c. § 3, explicata vide.

Ex occasione thematis: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* (MATT. XX, 15) potest dici recte reperies. Postea modum effugiendi docens sic loquitur: Nequam est oculus (magis autem animus) lividi; atque adeo merito illi applicari commune illud proverbium: Qui sibi nequam cui bonus? Non enim 1. bonus est Deo, ejus providentiam taxat et calumniatur, dum ea proximo invidet, et non data fuisse optat; imo ex Dei bonitate occasionem malitia sumit, quod signum est perditissimæ nequitie. Nec 2. bonus est proximo; utpote cui bona invidet, minuit, calumniatur, eripere conatur; mala autem optat, et totis viribus procurat. Nec 3. bonus est sibi, quia, ut l. c. Siracides dixit, nequam est oculus invidi, avertens faciem suam, et despiciens animam suam, quam in hac vita et altera gravissimis cruciatibus cruciari facit. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum, conc. vi in *Dom. Septuages.*

Ex occasione thematis: *Ne comedas cum homine invidio* (PROV. XXII, 6); possunt proponi remedia pro curando invidiæ morbo, videlicet 1. *Contemptus omnium*, quæ homines in mundo aestimare solent; nam sic materia invidiæ tollitur. 2. *Estimatio rerum cælestium*; facile quippe aliis relinquit terrestria, qui meliorem sibi in cælo hæreditatem paratam esse novit. 3. *Amor proximi*; hic enim facit, ut omnium aliorum bona communia judicentur, atque adeo proximo non invidentur. 4. *Amor Dei*; sic enim voluntas ejus, qua omnia sua dona cum summa sapientia dividit, sufficit, ut nullum cuiquam bonum invidiamus. Vide hæc omnia fusius apud Fabrum, conc. VII in *Septuages.*

Ex occasione thematis: *Noli emulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem* (PS. XXXVI, 1); potest breve compendium omnium doctrinarum ad vitium invidiæ pertinentium proponi. Et 1. quidem dici potest, munitionem invidiæ in triangulo esse edificatam, ex quorum uno angulo respicit altam civitatem; ex altero latissimam et fertilissimam plantiæ; ex tertio profundam vallem; quia invidus tres species hominum odit: *Superiores*, quia non est illis æqualis; *Æquales*, quia sunt æquales; *Inferiores*, ne fiant æquales. 2. Dici potest eam habere tres portas, quarum prima defendatur a Cain, duce eorum, qui alteri

gratiam Dei invident; altera a fratribus Josephi propugnatur, benedictionem rerum temporalium invidentibus; tertia a Pontificibus Christum accensantibus possideatur, qui propter honores et dignitates alteri invident. 3. Dicitur potest, eam habere tres laterales muros ad tres filias seu actus principales illius significandos, nempe odium, dejectionem, et gaudium de malo alterius. 4. Dicitur potest aream ipsam esse fœdissimam, et telis aranearum, quæ sunt symbolum invidorum, repletam. 5. Eam esse merito totis viribus impugnamam, eo quod per illam gravissima damna corpori, animæ et bonis temporalibus inferantur. 6. Optimum autem ad eam expugnandam medium esse, si ignis injiciatur geminæ charitatis, Dei scilicet et proximi. De quibus vide fusius Marchantium, in *Tuba Sacerd.* tr. III, lect. 6, 7 et 8.

ALII CONCEPTUS PREDICABLES.

QUALITAS. — Querunt nonnulli, cur Redemptori pro crimine læsæ Majestatis non imputarint, quod Ministris publicæ justitiæ sese opposuerit, siquidem haud improbabiler præsumi poterat, quod Petrus intimus ejus Discipulus vel ipso sciente, vel saltem ad minus ratificante, auriculam Malcho, qui lietorum caput erat, amputavit; at vero in promptu est responsio, si consideretur, quod probandum corpus delicti necessum fuerit, simul etiam publicare miraculum a benignissimo Redemptore patratum in ejusdem auriculæ restitutione; quia igitur miraculum istud justificare potuisset ejus innocentiam, sanctitatem, omnipotentiam, Divinitatem satis esse duxerunt, si præsumtum delictum istud sub silentio præterirent, ut suam tanto commodius invidiam explere possent; nam invidorum lingua, bona nulatenuis profari potest. MANSI, disc. v, n. 7.

Aptissima est illa ab aquila desumpta similitudo, quæ Deo attribuitur. Aquila enim pullos suos ad radios solis, an sui sint, explorat; quod si enim irretortis oculis lucis illius reflexum constanter sustinere possint, eos tanquam filios suos agnoscit, et nutrit; secus vero, tanquam adulterinos a se rejecti, et derelinquit. Deus noster in Deuteronomio, c. xxxii, aquilæ his verbis comparatur: « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos voltans. »

Hic igitur eos, quos felicitatis alienæ lucem constanter et irretortis oculis aspiciere posse videt, blande recipit, et tanquam filios adoptivos delicate demulcet; aliis vero, qui splendorem boni alieni videre nequeunt, tanquam filios adulterinis gratias suas subtrahit, et desolatos relinquit. *Ibid.* dis. IV, n. 5.

Auctor Operis Imperfecti rationem assignat, cur Spiritus Sanctus super Jordanem formam sibi columbæ assumpserit; indeque motivum sibi eruit probandi, quod, ubi charitas est, ibi diabolica nidificare nequam possit invidia. Ideo Spiritus Sanctus speciem columbæ suscipit, inquit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis, omnes enim species justitiæ, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere et servi Diaboli in simulatione. Habet enim Diabolus et mansuetos, et humiles, habet castos, et eleemosynarios, et jejunos; et omnem speciem boni, quam creavit Deus ad salutem hominum, ipsam speciem et Diabolus introduxit ad seductionem, ut inter bonum verum, et bonum simulatum confusio fiat, ut simplices homines, qui boni veri, et boni simulati differentiam intelligere caute non possunt, dum querunt bonos Deo viros, incurrant in seductores Diaboli. Solam autem charitatem Spiritus S. non potest immundus spiritus imitari. Omnis ergo species justitiæ impostoribus invenitur, sola autem gratia veræ charitatis non invenitur, nisi in solis servis Dei. Ex quo discursu certam hanc deducere possumus conclusionem, quod, ubi invidia est, charitas et amor Dei ac proximorum esse non possit; ac proinde secure, non vero temere judicabimus, si credamus, quod in anima hominis invidi Dæmon, non vero Deus habitet. AUCTOR OPER. IMP. t. IV. Id quod sequens Richardi de S. Victore, proposito nostro congruentissima confirmat sententia, dicentis: Invidia non penetrat pectus, quod charitatis perfectione munitum invenerit.

Certum est, nonnullos ex spiritibus rebellibus a Deo in aera collocatos esse, ibique manere, hoc enim verba illa Apostoli insinuant: « Contra spiritualia nequitia in celestibus. » At vero inquit, quid pœnæ in se habet, in aere demorari illos, qui inexpliabilia, et atrocissima tormenta merentur? Advertendum igitur, spiritus illos relegatos esse in talem locum, ubi in medio inter Ecclesiam Triumphantem paradisi, et Militan-

tem, quæ in terris est, positi degunt; ubi proinde sursum aspicientes gloriam coangulorum suorum, quos in caelis reliquerunt, et animarum beatarum, ex horum corporum luto egressurum ad occupandum sedes, a quibus ipsi infelicitate prolapsi sunt; deorsum vero respicientes, quotidie vident ascendentes ex nobis mortalibus ad gloriam, intentissimam experiuntur pœnam, propter invidiam, qua bonum nostrum æmulantur. Unde S. Bernardus ait: Diabolus in pœnam suam locum in aere medium inter cœlum et terram sortitus est, ut videat, et invideat, ipsaque invidia torqueatur. S. BERN. s. LIV in *Cant.* Hinc S. Antonius dixit: Magnam pœnam faceret Deus invidio, si ipsum poneret in gloria paradisi, quia ibi totaliter excæcetur a gloria proximorum, et a luce beatitudinis ipsorum; experiretur enim in paradiso quemdam perpetuarum ærumnarum infernum, quia totidem habiturus esset carnifices, quot sunt innumerabiles Angeli, et animæ beatæ, quæ visione beatifica fruuntur. S. ANTON. *de Pass.* in ser. IV.

LUC. XVI, legitur, quod epulo infernalis elevans oculos vidit in sinu Abrahamæ Lazarum, æternæ felicitatis primitiis perfruentem. « Pater Abraham, inquit, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam. » Ubi querendum venit, quidnam infelix hic epulo sublevaminis ex unica aquæ stilla lingue ejus imissa sperare potuerit, siquidem per experientiam videmus, quod stilla aquæ in ignem ardentem conjici soleant, ad augendum potius quam ad diminuendum flammæ ardorem? Dubium hoc solvit D. Chrysologus inquit: Ut video, quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui; et zelo magis incenditur, quam gehenna. Est grave illi malum, est illis incendium, non ferendum, quos aliquando habuere contempti, videre felices. Ubi speciali consideratione digna sunt verba illa: Zelo magis incenditur, quam gehenna. Mittatur ex una parte bilaneis pœnarum infernalium atrocitas et æternitas, et ex altera parte livor et pœna, quam annexam habet invidia; hoc enim factum, inquit D. Chrysologus, hanc in reprobo præponderare videbis. Dic, sodes, cur non petit, ut sibi liceat adire Lazarum, eique suam necessitatem proponere, sed potius petit, ut Lazarus mitteretur ad ipsum? Lazarum mitte, quo? Ad infernum de gremio,

de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum stridorem de sancta quiete. Notandum quoque est, quod sacer Textus dicat: « Videns Lazarum in sinu ejus. » S. CHRYSOL. ser. cxxxvii. Ubi D. Chrysostomus ait: Diviti mortuo angebat exitum accubitus in gehenna, et prospectus delectationis Lazari, ne solum tormentorum natura, sed et collatione honoris illius intollerabili sentiret supplicium. Deus igitur ex industria ita disposuit, ut dives epulo ex inferno videret felicitates et gaudia Lazari, ut in illis invidens, plus ab illis, quam flammis cruciaretur; zelo magis incenditur, quam gehenna. S. CHRYS. conc. II de *Lazarus*.

Sanctus Vincentius Ferrerius circa latus Redemptoris lancea aptum sic discurre: Septimum opus Christi in cruce fuit lanceatio. Dic, quomodo post mortem unum militum aperuit lancea latus ejus? (Joan. XIX.) Quare voluit hoc fieri? Respondeo, quod ad dandum nobis exemplum, et instructionem vitandi peccatum invidiæ; alia vulnera voluit Christus recipere, dum viveret, sed vulnera lateris, post mortem. Ratio, quoniam alia peccata mortalia omnia habent quid boni, vel apparens bonum. Dic, v. g. de omnibus. Primo de superbia, quia delectabile videtur superbo, quod honoratur etc. etsic de aliis. Sed peccatum invidiæ nullam habet rationem boni, totum est mors, quia invidia non est nisi dolor de bono alterius, qui in corde consistit, licet etiam ostendatur lingua; item de aliis plagis Christi exivit solum sanguis, de ista sanguis et aqua. Ratio est, quia calefit invidus, gaudendo de malo proximi, ideo exivit aqua ad refrigerandum. Secundo frigescit in amore et bono proximi, ideo sanguis exivit ad calefaciendum. S. VINC. FERR. in *Dom.* 1. post *Pach.*

Veterum commentum est, evocatas in pugnam a Sirenibus Musas, ut de canendi suavitate certarent. Cantarunt utrimque, triumpharunt canoræ Musæ, eaque Sirenibus plumas avulserunt, et quibus sibi coronas confecerunt in victoria signum, inquit Claudius Minoe, in *Emblem. Alciati*. Omnia hæc sinnerunt veteres, ut significarent, quidquid falsæ, et fallaces Sirenæ contra doctas Musas, vel invida penna scripserunt, vel emula lingua effutierunt, quo inelytorum hominum amplissimas virtutes, et præclara facinora obscurarent, id in illorum gloriam majorem cadere, coronarique eos

ad pompam pennis, quibus obfuscandos æmuli sperabant, quæ detegunt plurimum, et illustrem faciunt, quem detrudere, et obscurare volunt homines. *Did. Nyss. s. ii. in Sabb. post Dom. 4. Quadr.*

S. Paulus ut prevaricatores Galatas intellexit, atque ab obedientia, quam debebant Evangelio, descivisse, neque Deo quas illi debita exsolvisse, hæc illis scripsit: « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit, non obedire veritati? » *Gal. 3.* Fascinare proprie significat malum ab infestis oculis profectum, quod Hispani *mal de ojo*, malum oculorum, et *ojar a uno*, hoc est, oculis intentis aliquem inficere, dicunt, juxta illud *Virg. lii. in Georg.*

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agros. Cum ergo Apostolus ait: « Quis vos fascinavit? » tale est, ac si dixisset, quis vos infestorum oculorum contagio corrupit, sive infecit? Græcus Textus apud Theophylactum habet: « Quis vobis invidit? » Itaque invidere, et intentis oculis fascinare, idem sunt. Quæro nunc, Quonam tendit fascinum, quove noxii spiritus ab invidentis oculis profecti vadunt? In fœdasne res, an in pulchras? Experientia docet, nunquam res sordidas fascino obnoxias fuisse, et risum excitarer, si deformem mulierem fascinum passam intelligeremus, cum eos solos, quos liberaliori forma benevolentior natura ornavit, fascinum insectetur. Itaque species quædam assentationis est hæc infirmitas, et quoddam boni genus hoc malum, gratiamque inire apud feminam possis, si fascinatam dicas, postquam hoc fascini malum solo elegantioris formæ hono est infestum. Ergo cum Apostolus invidiam fascinum vocavit, velut adulatas invidiosus fuit, et a quadam formæ præstantia ac dignitate eos tacite commendavit, nisi enim eximia essent species, nunquam eos malum illud appeteret, aut invaderet. Itaque S. Paulus, ut vult Theophylactus, cum Galatas fascinum et invidiam passos dicit, eodem verbo multa præclara ab illis fieri, aut gesta fuisse, indicavit, invidia enim dentes nonnisi talibus rebus infigit; cum dicit, quis vobis invidit, indicat illos res dignas invidia committere. *Ibid.*

Est cuidam ægre ex invidia, quam sustinet, aliena, dolet suam ægritudinem, ejusque curandæ desiderio rationem consultit, quæ nobilis medicus est sanandarum apimæ passionum, paratâs, semper, easque effica-

ces, et salutare habens medicinas. Ehen, miserum me! clamet æger, cui omnes invident, quapropter etiam omnes me persequuntur, sumque et linguarum scopus, et calamorum negotium, et unicum omnium confabulationum argumentum. Occurrit huic anxietati ratio, compeccit suspiria, respondet querimonia dicens: De qua re miser et ignave expostulas, cujus tanta est felicitas? Gloriosissimus dolor est, quem pateris, nobilissima ægritudo, qua gravaris, honorificentissimus morbus, quo laboras, et saluberrima infirmitas, quam sustines. O quam feliciter infirmaris! O quam sublimis jaces, qui ex hujusmodi malo decumbis! Cum enim tuus ille de aliorum invidentia natus sit dolor, non est alius cui magis invideri queat. Vix insignem virum hæc immenem peste reperies, inquiebat Petrarca, *lib. 2. de Remediis utriusque fortunæ, dialogo 32*; cunctas historias evolve, non possunt ignoti tibi esse quam plurimi, quorum comitatu non solum consoleris, sed et gloriaris; velut dixisset: Quid sortem tuam tam misere deploras? Quid de malo, quod pateris, tam acerbe quereris, cum invidiosus factus ex eo ægre habeas, quo laborarunt viri ex toto terrarum orbe inelytissimi et celebratissimi, qui que in sacro famæ templo locum editissimum magno suo merito gloriosissime occuparunt? *Did. Nyss. 1. Polit. l. VIII, c. 1.*

Symmachus singulari cuidam suo amico, hæc præter alia scribebat: Gratulare mihi de magna felicitate, quæ mihi Romæ obtigit, fortunatiorem me nulla sæculorum superiorum ætas vidit. Quænam illa prosperitas tanta Symmachi fuerit? Varias multis hominibus status Romæ exererant, factum autem, ut ipsius simulacrum nocte quadam dejectum fuerit, cæterorum status salvus et inconvulsus. Dicebat ergo suo familiari Symmachus: Gratulare mihi de tam felici eventu, de tam benevolente fortuna. Ergone volebat, ut de hac re sibi gratulatum veniret amicus, quod statuæ gloria nudatus esset, quæ omnibus aliis manserat integra, nunquam ac solum ipsius simulacrum ex omnibus humi dejectum? Imo vero hoc magis postulare videbatur, ut quis illum miseretur, et deploraret sinistrum ejus casum, et tam insolens facinus vehementer vindicaret. Quid ergo Symmachus tunc gratulationem expetiit, quando injuriarum depulsionem, et vindictam postulare debebat?

Causam, cur sibi gratulationem fieri voluerit, magnus Senator reddit, dicens: Quod ego solus torqueo corda liventium, solus meæ gloriæ clavis configo invidorum animos, cujus solus demoliti sunt statuam, cum cæterorum signa reliquerint suis hasibus subnixâ, vel inconcussa. Cur immane quorundam odium sanguinariis dentibus erectam mihi statuam invasit? Quia studia rerum magnarum me occupatum habent, quia virtutibus antecello, et de præclaris aliorum facinoribus triumpho. Ergo cum simulacrum meum dejecerunt, me ad altiorum gloriæ gradum extulerunt; cum imaginem meam solo affixerunt, me in editoris fastigii celsitudinem exerunt; cum effugiem meam luto platearum oblitam conspurcarunt, virtutum mearum picturam penicillo livoris et invidiæ illustrarunt. Itaque gratulare mihi de probo, quod me honestat; de infamâ et ignominia, quæ me nobilitat; de una vero vel maxime dejectione statuæ, quæ me exultat; nam cum sim invidiæ signum et scopus, procul dubio etiam Phoenix sum gloriæ. Quamobrem gratulare mihi, quod ego solus torqueo corda liventium; letare de invidia, quam patior, si me fortunatum videre cupis. Quæ namque major felicitas, quam ipsiusmet invidiæ manibus vapulari et afflictari? *Ibid.*

Didacus Nyssenus in *Politico* ait, sua sententia, invidere et magnificare aliquid, sic unum idemque esse, ut videatur, non posse magnitudinem rei cuiuspiam melius declarari, quam si invisam sive invidia exagitatam fuisse affirmes. Sic accipio dictum quoddam S. Zenonis, inelyti Martyris Veronensis, qui, dum animorum robur apud se reputaret valentissimorum illorum trium juvenum a barbaro Rege Nabuchodonosore in ardentem fornacem conjectorum, quæ his adornata erat, qui statuam illius adorare recusarent, aiebat: « Rex non invidet pueris, si non eos præcepisset ardere. » Hæc ille, *serm. 8, de Daniel.* Quid sibi vult, quod ait extra invidiam Regis fuisse heroicos illos pueros, nisi jussu ejusdem flammis ustulandi traditi essent? Quid illi egerunt inter medios flagrantium flammarum globos? Pectoris fortitudinem et magnitudinem animi ostendunt tantam, quanta ad id tempus visa nulla fuerat. Qui horrorem fornacis istius contemnebant, et flammantem istius ignis Draconem aspernabantur, et ardentis monstrum

incendii ridebant, si fortitudinis humane limites communes longe excesserant. Res autem ista æque et miserum Regem pudefaciebat, et valentissimos juvenes honestabat, sic, ut in eadem fornace proderet se, et horum invicta fortitudo animi, et illius imbecillitas pectoris, virium infirmitas, cujus arrogantiam incomparabili sua audacia subegerunt, et compresserunt. Itaque Rex cum eos igni tradidit, excoelsitatem animi eorum, et præstantiam illustriorem reddidit, quo enim gravius periculum, eo amplior gloria ejus, qui illud subit; quo effertius aliquod, et terribilius monstrum, eo majorem splendorem confert suo domitori; quo potentior hostis, eo magnificentior virtus illius, a quo subigitur. Propterea S. Zeno ejusmodi gloriæ occasionem, et triumphum talis causam, vocat invidiam dicens: Rex non invidet pueris, si non eos præcepisset ardere, hoc est, non magnificarat, non illustrarat, non eminentissimo gloriæ gradu eos collocarat, nisi incendio fornacis subjecisset. Nam invidere cuiquam, et in cælum illum laudibus efferre, prorsus idem est. Quod enim quis invisus est, id a magnitudine meritorum illius nascitur, et ab ornamentis virtutum, quibus affluit. Invidia ergo gloriam adfert invisio, probrum suo auctori. *Idem.*

DAMNUM. — Serpens, qui Evam convenit, nomine generico a Moysse *serpens* appellatur: « Serpens erat callidior cunctis animantibus terre; » hunc autem basiliscum fuisse, verisimile est, quia « invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. » Unde S. Ambrosius ait: Si non esset basiliscus, nunquam per ejus invidiam mors intrasset in orbem terrarum. Invidia namque Dæmonem ad præcipitandos protoparentes nostros exstimulavit; quæ eadem passio et hos, dum in scientia et essentia inferiores proprio Creatore haberi nolent, ut manum ad pomum extenderent, induxit, credentes, ita se Divinitatem et sapientiam Dei participatos, cujus vitii progressum S. Antonius discentiens, inquit: Omnes errores hominum processerunt ex primo errore primorum parentum, quem seminavit Diabolus ex invidia. Unde dicitur, *Sap. 2. Deus creavit hominem inextermibilem, qui scilicet non potuisset errore decipi, vel corpore defecere, si obedisset. Invidia autem Diaboli mors, scilicet anime et corporis, introivit in orbem terrarum; nam ex invidia sua, ut hominem deiceret, errorem et falsitatem proposuit, dicens: Nequaquam*

moriemini Ecce falsitas. *Scit enim Deus etc.* quasi dicat: Ex invidia Deus hoc prohibuit, ne efficiamini similes in scientia. Ecce error; si que exinde errores in mundo multiplicati sunt. S. AMBR. in c. III *Genes.*

S. Patriarcha Abraham, cum in terra Palæstinorum moraretur, ita auctus est divitiis, ut certaret cum opulentissimis terræ illius de facultatum affluentia. Viderunt hoc Palæstini, et inviderunt fortunæ illius, æmulate tantæ felicitatis dixerunt cum suo Rege: « Recede a nobis quoniam potentior nobis factus es valde. » *Genes. 26.* S. Joannes Chrysostomus non satis potest admirari dictum hoc ab Abimelech Rege, quare attortus exclamat: Magna malevolentia! Quis parem vidit stultitiam? Cujus gratia abigis justum? Numquid aliqua in re tibi nocuit? Num injuriam tibi intulit? Oportebat eum, quem omnium Deus tanta gratia prosequeretur, Dei exemplo magis fovere, ei serviendo, ut honore in illum colloco, etiam ipsis divinum sibi favorem conciliarent. Quare vero Abrahamum, pro exemplo Dei, non modo non fovent, neque tantum non favent illi, aut serviunt, verum etiam inhumanos se exhibent, et cedere loco jubent? Quid cæcavit illos? Quid rem tam inhonoricam suavit? Quis vero tam malus consultor esse poterat, quam invidia? Sic se habet invidia, inquit ibidem Chrysostomus, quæ nihil cum ratione operatur. At si ex arbitrio invidiæ agebant, quid mirum, quod nihil recte facerent, sed in omnibus errarent? *Ibid.*

Narrabat somnium suum Joseph fratribus de manipulis, scilicet vidisse per soporem, quasi pariter ligasset manipulos, suos autem manipulos altius omnibus consurrexisset. Indignabantur fratres illius, et quod talia audirent, et quod illum patri se chariorem viderent, hinc oderant illum, neque jam vel æquis oculis aspiciabant, vel pacifice, humaneque alloqui poterant. Factum ergo, ut, cum illis ruri agentibus cibos ferret, et procul inde visus fuisset, mutuo dicerent: « Ecce somnator venit, venite occidamus eum, et tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua. » *Genes. xxxvii, 20.* S. Basilius Magnus fratres Josephi tali dilemmate convenit, et convincit de magna inopia iudicium, quorum tale fuerit de fratre iudicium: Si vera essent Josephi somnia, qua ratione potuit effici, ut non omnino ea evenirent, quæ prædixit? Sin falsa, cur in-

videbant erranti, et decepto? Hæc ille, homo de *Invidia*. Si ex vero Deo erant somnia, ejusque decreto præfinita, adeo futura, quæ per somnum prævisa, frustra iis per occisionem fratris occurrerent, quem Deus resuscitare poterat; sin falsa erant, hoc est, mera somnia tantum, stultissime ei invidabant Regiæ Majestatis dignitatem, quam tantisper, dum somniabat, habere putabat. Quare ergo innocentem puerum vendiderunt, et potestati Ismaelitarum negotiatorum ceu vile mancipium pro tam vili pretio tradiderunt? S. Basilius dicit: Sic in Josephum erant animati, ut quid facerent, nescirent. Nemini cæcitas horum videatur mira, nam quos occupat, regebatque invidia, quid illi recte, atque ordine poterant? Quomodo deliberare in re licet aperta et manifesta? Ubi invidia, ibidem confusio imperat, et omnia occupat. Aut si non est ita, videte quid egerint. Postquam vendiderunt illum, ut diximus, tulerunt tunicam ejus polimitam, quam Pater illi fecerat, et in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, ut doli nescius senecio laniam a bestia filium crederet. Integram, atque ex omni parte illasam transmiserunt patri tunicam, ut ex sacro Textu constat. Quam fatue ergo factum, quod talis tunicæ indicio disceptum a fera puerum demonstrare volebant! Quomodo enim occidere illum, et ferro morsu dilaniare bestia potuit, sine offensa vestis, quæ contexerat? Quomodo vero rem tam perspicuam non considerabant? Sic erant animati, ut, quid facerent, nescirent. Miraculum fuisset, si directore usi invidia, recte quiequam agere, et peccatum suum quoquo modo palliare scivissent. *Ibid.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Aristoteles interrogatus, quid sit invidia? respondit, fortunatorum antagonista. *MARCH. tr. III, Tub. Sac. lect. iv.*

Quod illa, quæ proximi sunt, rudiores plerumque cum invidia contemplari soleant, judicat notum distichon:

Fertilior seges est alienis semper in arvis,
Vicinique pecus grandius uber habet.
Ibidem.

Ipsam Invidiam pulchre Ovidius sic descripsit:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Næquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora fello vident, lingua est suffusa veneno,
Risus abest omnis, nisi quem foere dolores;
Nec fructus somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus rerum, carpitque, et carpitur una,
Suppliciumque suum est.

OVID. l. I, *Metam.*

Themistocles adhuc adolescens dicebat, se nihil adhuc præclari fecisse, quod homines necdum sibi inviderent; nam sicut cantarides vegeto maxime tritico innascuntur, et rosis pulchre florentibus; sic invidia præcipue viros in sapientia et doctrina, ac virtute profectos invadere. *LANGIUS, in Pol. fol. 592.*

Publius Mutium hominem invidum et in primis malevolum conspicuus: Aut Mutio, inquit, malum quondam obtigit, aut alteri cuiquam bonum. *Ibid.*

Actius Sincerus, cum in præsentia Regis Friderici questio orta esset: quid præcipue ad oculorum aciem acuendam conferret? aliis alia sententibus, pro invidia sententiam tulit, hanc enim præ reliquis rebus hanc vim habere, ut majora faciat videri bona, quæ aliis videmus obtingere, *Ibidem, fol. 593.*

Canis quispiam cum juxta præsepe boum jacens latratu suo eos a pabulo arceret, eorum unus. Quanta hæc, inquit, invidia est, non pati te, ut eo cibo vescamur, quem tu capere nec velis, nec possis! Qua fabula recte invidiæ malignitas designatur. *Ibidem, fol. 594.*

Canis Sophis, Indorum Regis, in certamine cum leone admissus, fauces illius adeo tenaciter invasit, ut, licet ab initio cauda, dein crura ac postremo reliquum corpus a capite abscissum sit, ipsum tamen caput adhuc leoni inhaerens remanserit. Idem facit invidus perire malens, quam ab alterius morsu abstinere. *ALLIAN. l. VIII, Anim. c. 1.*

Dives epulo dixit in inferno: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum! De quo dicto sic loquitur B. Petrus Chrysologus: Ut video, quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui, et zelo magis accenditur, quam gehenna. Non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. O vere dura sicut infernus æmulatio! S. PETRUS CHRYS. l. CXXII.

FUGA. — De hac recte dixit Seneca: Invidiam effugias, si te non ingesseris oculis;

si bona tua non jactaveris; si sciveris in sinu gaudere. *SENEC. ep. xvii.*

Idem dixit: Si non invideris, major eris (forte, quia habes id, quod tuum est; et simul, quod alterius est) nam qui invidet, minor est. Scito autem, quod nulli invidet vir bonitate præditus. *Ibidem.*

DAMNUM. — Invidia est illa fera pessima, de qua dixit Jacob: Fera pessima devoravit Joseph. *HUGO, in c. XXIII Genes.*

Recte cecinit nonnemo:

Justus invidia nihil est, quæ prolians ipsum.
Auctorem rodit, discretiatque suum.

Marchantius illa verba Jobi: Fiduciam habet, quod Jordanis influit in os ejus; applicat Diabolo, atque habere hunc sensum: Diabolus invidus sperat, quod baptizati Christiani (hi enim per Jordanem, ubi baptismum suam originem sumpsit, significatur) ab ipso facile sint per suas artes absorbendi. *MARCH. in Tuba Sac. tr. IV, lect. III.*

Recte Horatius de invidia cecinit:

Invidia Sicili non invenere Tyranni
Tormentum majus.
HORAT. in Epist.

Anacharsis invidiam animæ feram appellavit, utpote quæ eam miserime in multas partes dividat, foedèque iaceret. *DREXEL. in Joseph. c. II, § 8.*

AXIOMATA.

Figulus figulo invidet, faber fabro.
Una domus non alit duos canes.
Optat ehippia bos piger; optat arare caballus.

Aliena nobis, nostra plus aliis placent.
Ipsum me comedo ut polypus; quia polypus non modo alios, sed etiam se fertur comedere.

Christo annuente, nil cui nocet livor.

AUCTORES.

Joannes Bæusæ, in *Panario*, V. eodem.
Jacobus Marchantius, tr. IV, *Tuba Sacerdotalis*.

Hieremias Drexelius, in *Josepho*, c. II.
Josephus Langius, V. eodem, in *Poliathora*.

Petrus Canisius, tom. III, de *Justitia Christi*, § 6, f. 81.

Bernardinus Rosignolius, lib. II, de *Disc. Christi*, c. xxii.

Ludovicus Granatensis, in *Duce Pecc.* c. vii, f. 648, et in *Locis Comm.* f. 384.

Philippus d'Outreman, in *Pædagogia Christiano*, p. 1, c. vii, § 5.

Matthias Faber, conc. vi et vii, in *Dom. Septuag.*

Henricus Engelg. in *Dom. 5 post Epiph.* to. post.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. I, p. I, c. XI et seq.

Thomas Stapletonus, text. II, in *Dom. 3 Quadr.*

Laurentius Beirlinek. text. II, in *Festo Nativ. S. Joan. Bapt.*

Joannes Dadræus, in *Locis Communibus similitum*, v. eodem, f. 293.

Josephus Mansi, in *Bibl. moral. tract. XVIII.*

IRACUNDIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inordinatus vindictæ appetitus, juxta S. Thomam, seu est habitus ad inordinatum appetitum vindictæ inclinans. S. Th. II, II, q. XLVI, a. 2. Vel, ut S. Augustinus definit, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. S. AUG. ep. cxvii, ad *Nebridium*. Differunt autem inter se indignatio, ira, et iracundia, quod indignatio sit stimulus quidam brevis ac subitus, acutusque passionis vapor. Ira vero permanens ac diuturna tristitia, et veluti libido quaedam se vindicandi. Iracundia denique habitus et consuetudo irascendi. Unde Antiqui eandem sub specie Martis, sive hominis furentis, in curru sedentis, galeam in capite gerentis, cum flagello in dextra, lupoque præcedente pingebant, teste Marchantio. MARCH. in *Tuba Sac.* tr. VI, sect. 1. *Instar Martis* quidem, quia Mars furibundus deus belli dictus est, et stella illa, quæ Mars appellatur, complexioni cholericæ dominatur, et ad iram movere dicitur. In curru sedentis; ad volubilitatem ejus significandam, nam propter complexionem cholericam et ignem prædominantem ab uno in aliud volutatur; hinc merito Siracides de eo dixit: Præcordia fatui quasi

rota carri, quasi axis versatilis cogitatus illius. Eccl. xxxiii, 5. Rota illius (quæ sunt inquietudo, impetuositatis, præsumptio, audacia) quasi impetus tempestat. Caput galeæ coopertum gerentis; quia iratus judicium rationis oblectum et obnubilatum habet, notus ille versus indicat.

Impedit ira animus, ne possit carnere verum. *Cum flagello in dextra*; quia sicut flagellum est instrumentum percussiois livorem faciens, sic ira per vindictam perentit ac punit. Hinc Ecclesiasticus: Flagelli plaga, inquit, livorem facit, plaga autem lingue comminet ossa. Eccl. xviii, 21. *Cum lupo procedente*; quia iratus, sicut lupo, nemini parcat, omnes invadit, laniat, devoratque. Unde Ezechiel de ejusmodi furiosis Principibus ejus quasi lupi rapientes prædam. (Ezech. xx, 27.) Et ideo jam olim etiam Marti lupo consecratus fingebatur a Poëtis.

Ira, ut S. Bonaventura ait, est motus et fervor sanguinis circa cor ex evaporatione felis, propter appetitum vindictæ. S. BOV. in *Declar. term. Th.*

DIVISIO. — Duplex est species iræ, quædam bona, et quædam mala; mala quidem quando inordinate tendit in vindictam, scilicet contra justitiam; bona vero, quando in vindictam debitam, quando scilicet quis irascitur, quando oportet, cum quibus, et quantum oportet. De utraque potest exponi illud Davidis: *Irascimini, et nolite peccare*; si de mala, hic est sensus, non præcipit, sed permittit, quasi dicat: Si sic est, quod motus iræ insurgat (quod humanum est) nolite peccare, id est, nolite perducere ad effectum per consensum; si autem exponant de bona, sic tenetur non solum permissive, ut primo, sed imperative; *irascimini*, scilicet contra peccata vestra, sumpta ullione de se ipso peccante; et sic poenitentia est quædam vindicta, quam homo facit, et capit de seipso; et hæc est bona ira, et de hac dicitur imperative: *Irascimini*, scilicet contra peccata vestra, et nolite peccare de cætero, nec talia committere, contra quæ iterum oporteat irasci. S. THOM. in cap. iv. *Ephes.* Hinc S. Chrysostomus recte dicit: Ne nos temere irascamur; ira enim nobis ideo insita est, non ut peccemus, sed ut alios peccantes prohibeamus; non ut fiat animi perturbatio et ægritudo, sed ut sit ægritudinum et perturbationum remedium. Cogita apud te, quam sit insigne vitium, quando medicamentum venenum efficitur;

quando per quod aliorum vulneribus medendum est, per id vulnera nobis infligimus: quemadmodum si quis accepto ferro, ut, quæ in aliis putrefacta sunt, rescindat, se ipsum ubique coincidat, se per totum corpus saucians, vel gubernator per clavum cymbam submergat, per quem ventorum impetuum impetum oportebat cohibere. Hujusmodi est etiam ira utile instrumentum, ut nostram excilet somnolentiam; ut animum nostrum intendat, viresque et robur addat; ut nos aciores efficiat, ut pro his indignemur, qui sunt affecti injuria; vel ad poenas de insidiatoribus sumendas nos moveat; ea de causa dicit: *Irascimini, et nolite peccare*. S. CHRYS. in *Ps. iv.*

Dividitur a S. Thoma in tres species, non quidem ratione objecti, sed subjecti, seu secundum ea, quæ dant augmentum iræ, nimirum 1. In *fel seu excaescentiam*, eo quod hæc ira cholericorum propria ob spirituum subtilitatem velociter exurgat, iterumque abeat, unde ira brevis, et ejusmodi irati acuti ab Aristotele vocantur. 2. In *maniam*, eo quod ex tristitia præcedente causata, diu in memoria maneat, sibi que et aliis sit permolesta, et amara; unde tales iratos Aristoteles amaros appellat. 3. In *firorem*, eo quod non quiescat, donec vindictam exerceat; hi tali ira *inveterata*, et tali modo irati a Philosopho *difficiles et graves* vocantur, ut qui nec persuasionibus, nec temporis diuturnitate, sed sola vindicta mitigantur. S. THOM. II, II, q. xxxix, p. 8. Eodem plane modo S. Gregorius Nyssenus, tres, ait, sunt irascibilitatis (malæ videlicet) species, scilicet ira, quæ vocatur fellea; et mania, quæ vocatur insanica; et furor. Iram felleam dicit esse, quæ principium et motum habet, quod Philosophus attribuit acutis. Maniam vero dicit esse iram, quæ permanet, et in vetustatem devenit, quod Philosophus attribuit amaris. Furorem autem dicit esse iram, quæ observat tempus in supplicium, quod Philosophus attribuit *difficilibus*. S. GREG. NYSS. ap. Mansi, tr. xxxix dis. 1, n. 6.

Aliter adhuc iracundiæ et iracundorum species proponit itidem S. Gregorius quando, 4. inquit: *Nonnulli citius accenduntur, facilius deserunt*; et hi accensis calamis sunt similes, quia, dum vocibus obstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, et citius quidem flammam faciunt, sed protinus in favilla frigescent. 2. *Alii tardius*

commoventur, sed diutius tenent iram; suntque lignis gravioribus humidisque non dispares, quæ tardius accensionem suscipiunt, attamen semel accensam diutius flammam fovent. 3. *Alii (quod est nequius) et citius iracundie flammam concipiunt, et tardius depouunt*; lignis aridis et durioribus assimilandi, quæ et accenduntur facile, et diu ardent. 4. *Alii tarde irascuntur et cito placantur*; humidis calamis similes, qui ob humorem tardius ignescunt, sed ob tenuitatem materie cito consumuntur. S. GREG. I. V. *Mor.* c. xxxii.

ACTUS. — Primus actus iræ, quatenus est in corde juxta S. Thomam *Indignatio*, per quam iratus eum, qui læsit, indignum reputat, ut talem læsionem ipsi procuraret.

Secundus est *Tumor mentis*, per quem offensus varias vindictæ vias excogitat, et talibus cogitationibus replet.

Tertius, quatenus ira per os ostenditur, est *Clamor*, sed ob inordinatam et confusam locutionem, quam Christus in Evangelio per vocem *Raca* expressit.

Quartus sunt *Verba injuriosa*, vel contra Deum (ut est blasphemia) vel contra homines prolata, et communiter *Contumelia* nominatur.

Quintus, quatenus ira procedit ad factum sunt *injurie*, per quas intelliguntur omnia nocenta, quæ iracundia impellente proximo inferuntur. Atque hiactus hoc ordine assignati, etiam *Gradus iracundie* dici possunt, quia experientia teste, ira ab initio mente concipitur, dein voce proditur, et tandem facto ipso, seu damno illato, perficitur et completur, ideoque Cælo fulminanti non male comparatur, quod primum fulgurat, post tonat seu murmurat, et tandem omnino fulmine ferit. S. Th. II, II, q. clviii, 1.

EX S. SCRIPTURA.

Impii, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in concalcationem, et lutum. Is. c. xxxvii.

Ira viri justitiam Dei non operatur. JAC. I. Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam. Eccl. c. 1, 28.

Melior est patiens viro forti, et qui dominator animo suo expugnatore urbium. PROV. c. xvi.

Fatuus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat injuriam, callidus est. Ib. c. xii.